

JOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio **EMMANUELI SOBREVINAS**, presbytero Ecclesiae **Manlensis**, electo eiusdem Sedis sacri Praesulis Auxiliari atque Episcopo titulo **Tulanensi**, salutem et Apostolicam Benedictionem. Romanum decet Pontificem, Christi vices in terris divino mandato gerentem, cum fratribus in Episcopatu labores participare illorumque votis summa caritate annuere. Quare, optantibus Nobis libenter audire preces Venerabilis fratris Nostri **Jacobi S.R.E. Cardinalis Sin. Archiepiscopi Manlensis**, petentis ut alius sibi Auxillaris tribueretur, peropportunum visum est in te, dilecte fili, id genus muneris conferre posse. Tibi enim necessarias esse scivimus animi ingenique virtutes ad gravissimum sacri pastoris officium obeundum. De sententia igitur Venerabilium fratrum Nostrorum **S.R.E. Cardinalium**, qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositi sunt, deque summa Nostra potestate te Auxiliarem nominamus sacrorum, quem diximus, Antistitis simulque Episcopum vacantis Sedis titulo **TULANENSIS**, iustis datis iuribus congruisque impositis obligationibus, sicut explicatur in Apostolicis Litteris Ecclesiae Sanctae a **Paulo VI, Decessore Nostro**, die **VI mensis Augusti** datis, anno **MCMLXVI**. Permittimus insuper ut ordinationem accipias a quolibet catholico Episcopo extra urbem Romam, cui duo assistant eiusdem ordinis episcopalis viri consecratores, sic ut leges liturgicae praescribunt. Antea autem tuum erit catholicae fidei professionem facere, teste quovis rectae fidelis Episcopo, atque iuramentum dare fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, ad statutas formulas, quas ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittes, de more signatas sigilloque impressas. Extremum te, dilecte fili, paterne hortamur ut episcopale munus ita geras, quo ditiores de laboribus tuis fructus percipiantur. Datum Romae, apud **S. Petrum**, die septimo mensis **Aprilis**, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

✠ **AUGUSTINUS CARD. CASAROLI**
a Publicis Ecclesiae Negotiis

JOSEPHUS DEL TON, Proton. Apost.

JOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri **PHILIPPO F. SMITH**, hactenus Episcopo titulo Lamphuensi et Vicario Apostolico Joloensi, electo Coadiutori cum iure successioneis sacri Praesulis Cotabantensis, salutem et Apostolicam Benedictionem. Romani est Pontificis vota suscipere Episcoporum illorumque necessitatibus prompte subvenire. Quare, cum Venerabilis frater Gerardus Mongeau, Episcopus Cotabatensis, Nobis preces adhibuisset ut Coadiutor cum iure successioneis sibi daretur, visum est id genus muneris tibi, dilecte fili, posse committi. Novimus enim egregias animi ingenique tui dotes rerumque pastoralium peritiam. Summa igitur Apostolica Nostra potestate vinculo te solvimus Sedis titulo Lamphuensis Itemque munere Vicarii Apostolici Joloensis teque Coadiutorem cum iure successioneis sacrorum, quem diximus, Antistitis nominamus, datis iuribus obligationibusque impositis sicut explicatur in Apostolicis Litteris — Ecclesiae Sanctae —, a Paulo VI, Decessore Nostro, die VI mensis Augusti datis, anno MCMLXVI. Antea autem, dum te a catholicae fidei professione facienda eximimus, tuum erit, teste quovis rectae fidei Episcopo, iusiurandum dare fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, iuxta statutam formulam quam ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittes, de more signatam sigilloque impressam. Nunc denique, Venerabilis frater, Deum omnipotentem precamur ut sua te gratia dignetur confirmare quo promptius sive Ecclesiae Cotabatensis fideles sive eorum sacrum iuves Pastorem. Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri I.

AUGUSTINUS CARD. CASOROLI
a Publicis Eccl. Negotiis

JOSEPHUS DEL TON, Proton. Apost.

JOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio **PETRO MAGUGAT**, e Congregatione Missionariorum Sacratissimi Cordis Jesu, paroco in dioecesi Cabanatuanensi, electo eiusdem Ecclesiae sacri Praesulis Auxiliari atque Episcopo titulo Scillitano, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quo plenius spirituali bono Christifidelium dioecesis suae consuleretur, petivit Venerabilis frater Vincentius Reyes. Episcopus Cabanatuanensis, ut Auxiliaris sibi daretur. Cum ergo te, dilecte fili, qui egregiis animi ingenique dotibus praestas, eidem officio exsequendo aptum existimaverimus, de sententia Venerabilium fratrum Nostrarum S.R.E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositi sunt, deque summa Nostra potestate te Auxiliarem nominamus sacrorum, quem diximus, Antistitis simulque Episcopum vacantis Sedis titulo **SELLITANAE**, iustis datis iuribus congruisque impositis obligationibus, sicut explicatur in Apostolicis Litteris Ecclesiae Sanctae — a Paulo VI, Decessore Nostro, die VI mensis Augusti datis, anno MCMLXVI Quod ad episcopalem ordinationem tuam attinet eam a Nobismet Ipsi accipies Romae, in Petriana Basilica, die vicesimo septimo mensis Maii qui proxime adveniet. Antea autem tuum erit catholicae fidei professionem facere, teste quovis rectae fidei Episcopo, atque iusiurandum dare fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, ad statutas formulas, quas ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittees, de more signatas sigillaque impressas. Extremum tibi, dilecte fili, Deum rogamus ut supernis te adiuvet donis quo aptius et Episcopo Ecclesiae Cabanatuanensis et ei commissis fidelibus auxiliaris. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo tertio mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

✠ **AUGUSTINUS CASAROLI**
A Publicis Ecclesiae Negotiis

JOSEPHUS DEL TON, Proton. Apost.

JOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio **SALVATORI QUIZON**, e clero archidioecesis **Lipensis**, electo eiusdem Sedis sacri Praesulis **Auxiliari** atque Episcopo titulo **Feraditano Minori**, salutem et Apostolicam Benedictionem. Solet Romanus Pontifex, cum id suadeant adiuncta rerum, sacrorum Antistitibus Episcopos adiutores assignare, eo consilio ut illis, quos laborum onus et vitae christianae negotia premunt, quam assidue opitulentur. Qua re, cum Venerabilis frater **Richardus Vidal**, Archiepiscopus **Lipensis**, petivisset ut Auxiliaris sibi daretur, visum est Nobis in te, dilecte filii, id genus muneris posse conferri. Tibi enim necessariae sunt animi ingenique virtutes ac rerum pastoralium usus haud minimus. De sententia igitur Sacrae Congregationis pro Episcopis, deque Nostra summa potestate te Auxiliarem nominamus sacrorum, quem diximus, Antistitis simulque Episcopum vacantis Sedis titulo **FERADITANAE MINORIS**, iustis datis iuribus congruisque impositis obligationibus, sicut explicatur in Apostolicis Litteris — Ecclesiae Sanctae — a Paulo VI, Decessore Nostro, die VI mensis Augusti datis, anno **MCMLXVI**. Permittimus insuper ut ordinationem episcopalem accipias a quolibet catholico Episcopo extra urbem Romam, cui duo assistant eiusdem ordinis episcopalis viri consecratores, sicut leges liturgicae praescribunt. Tibi autem mandamus ut antea fidei professionem facias, teste quovis rectae fidei Episcopo, atque iurandum des fidelitatis erga Nos et Successores Nostros, ad statutas formulas, quas ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittes, de more signatas sigilloque impressas. Postremo te, dilecte filii, paterne hortamur ut, in tam gravi officio obeundo, omnem adhibeas diligentiam quo aptius tum Ecclesiae **Lipensis** Antistes, tum ei commissi fideles tua diuturna ope iuventur. Datum Romae, apud S. Petrum, die nono mensis Junii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS CARD. CASAROLI
a Publicis Eccl. Negotiis

JOSEPHUS DEL TON, Proton, Apost.